

1177

1994  
A  
1386





DISPUTATIO DECIMAQVINTA  
COLLEGII PVBLICI,  
DE REI VINDICA-  
TIONE ET PVBLI-  
CIANA IN REM  
ACTIONE.

Quam

*Diuino fauente Numine,*

PRÆSIDIBVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.*

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In alma Colonienfis Academia Iuris Collegio publice disputan-  
das proponit die 7. Iunij, An. 1629.*

FRANCISCVS PEMLERVS, Landspergensis.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

DE REI VINDICATA  
TIONE ET PUBLI  
CIAM IN REM  
ACTIONE

Quam  
D. Petrus G. G. G.  
P. P. P.

Christoph. G. G. G.  
De Petro G. G. G. J. V. D. G. G.  
In Ann. G. G. G. J. I. I. I.  
In Ann. G. G. G. J. I. I. I.  
Franciscus P. P. P. P. P.



COLONIA AGRICOLA  
Land. P. P. P. P. P.





## ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

**R**est vindicationem hæreditatis, aut velut hæreditatis *t. t. ff. de possess. petit. hered. & de fideic. pet. hered.* iusto ordine subijcitur vindicatio rei singularis *l. i. in pr. ff. de rei vindic.* quamuis enim secundū Philosophos vniuersales notiones abstrahantur à singularibus, non tamen actiones vniuersales ideo nomen habent, quantumuis & hac ratione singularibus digniora, ac proinde etiā tractatu priora essent; Sed quia dantur de vniuersitate, in qua res omnes & singulæ continentur, hæc vti & harum actiones vtpote tempore posteriores & indigniores illis postponuntur *Anton. Fab. in Rational. ad l. i. ff. h. tit.*

### CONCLUSIO PRIMA.

**R**ei Vindicatio est actio ciuilis in rem corpoream, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus. *Thom. Freig. in parat. h. in pr.*

2. Verbum *Rei* significat rei proprietatem, quapropter rei vindicatio est proprietatis assertio, & rem vindicare est suam esse asserere vt distinguatur hæc ex subiecta materia, à vindicatione Seruitutis, quæ per confessoriam, Libertatis, quæ per Negatoriam, iuxta §. 2. *Inst. de act.* Pignoris, quæ per Seruiam, vel quasi §. 7. *Inst. ibid.* Possessionis, quæ per Publicianam *t. tit. ff. de Public. in rem act.* expediuntur *Pac. ad t. ff. hic.*

3. Vindico, quasi vim dico, & vindicatio à vindicijs, glebis controuersis secundum *Festum* dicitur, quia antiquo iure *legis 12. tabularum* (quæ omnes Bibliothecas Philosophorū, teste *Cicerone lib. 1. de Oratore* superabat) fiebat vindicatio in re præsentem per manus conseruionem, id est, vim imaginariam, inde *Festucaria Gellio* appellatur, in Iure apud Prætorem, nam Prætor in rem præsentem veniebat cum ipsis reis, ibique apud rem ius dicebat, & Vindicias dabat, adeoque in iure, & re præsentem idem erat, arg. *l. 4. §. 1. ff. De Interrog. in iur. fac.* quod cum imperij finibus longius extra urbem



propagatis, graue esset, inuentum est à Ictis, vt Rei non iure apud Prætorem manum confererent, id est, non Prætor in rem præsentem veniret, sed tantum ex iure manu confertū vocarent, id est, alter alterum ex loco vbi prætor ius diceret, ad conferendam manum in rem præsentem vocaret, qui simul profecti glebā è fundo auferrent, quā inde in ius ad prætorē deferrent, in qua perinde atque in fundo ipso ambo vindicarent *Gell. lib. 20. Noct. Attic. c. 9.*

4. Huius quoque profectiois tædio instituta fuit profectio quædā imaginaria ex solis carminibus seu formulis, alia actoris, alia rei, alia Prætoris qua de *Cic. in orat. pro Muren.* Quin etiam hæc in desuetudinem abiit, cum Prætores ex sua iurisdictione ius in litis verba cōposuerunt *arg. l. 2. §. 6. de ff. de orig. iur.* Hoc fere modo: Fundus Tusculanus, qui est in agro qui Sabinus vocatur, meus est, nam fundi nomen, & quo loci sit, dicere oportet *l. 6. in fin. ff. de rei vindicat.* vel hoc modo. Hanc ego rem ex iure Quiritium meam esse aio *Cuiac. in parat. C. h. t.* Et secundum hanc sententiam credo loquitur *text. in l. fin. C. de præscript. long. temp. l. 4. §. 5. ff. fin. regund. A Egyd. Hortens. ad §. 1. Instit. de act.*

5. Ne autem vocabuli vindicationis generalitas aut ambiguitas cuipiā imponat, nobis vindicatio maximè propriè dicta est, quæ & directa est, actio scilicet in rem specialis, qua quis petit se dominum rei petitiæ declarari, eamque officio iudicis à possessore, id est, ab eo qui detinet, sibi restitui. *Pac. hic.* Reiquæ sunt vtilis, quæ dantur vsu existentibus Dominus *Novell. 22 c. 45. Nouell. 2. c. 4.* Emphiteutæ scilicet, Vasallo, Superficiario, Conductori vectigalium alijsue &c. illis ad exemplum directorum Dominorum pro iure suo asserendo accommodatæ *Cuiac. 5. obseru. 29.*

6. Vnde diuisio dominij specifica in directum & vtile magistraliter absq; lege inuenta, quatenus duo vnus rei in solidum Domini esse nequeunt, *l. 5. §. 15. ff. commod. post sublatas differentias inter ius Bonitarium & Quiritarium t. t. C. de nudo iur. Quirit. toll. & ibi Cuiac. in parat.* plane corrui, iuxta *Vult. 1. d. scept. scholast. 19.*

7. Directa autem rei vindicatio soli & vero domino datur, qui de iure gentium, vt per occupationem, vel de iure ciuili, vt per vsucapionem scilicet triennij, cui detur *arg. l. 20. C. de pact. dominiū acquisiuit l. 23. in pr. ff. h. t.* (nam secus est in præscriptione longi temporis, quæ olim exceptionem dūtaxat tribuebat *arg. t. t. ff. de diuers. & temp. præscript. Azo in C. h. t. in pr.*) etsi reuocabilis dominus sit, & res ab eo, heredibusue eis abire speretur *l. 66. in pr. ff. h. t. V Vesenb. in parat. n. 3.*

8. Eaque datur etiam vxori de re dotali aduersus extraneum constante matrimonio, quatenus illa dotis inæstimatæ domina bonitaria est, effectu considerato, κατ' πρόληψιν, id est, per anticipationem, futurum enim est, vt ei soluto matrimonio dos sua restituatur *l. 3. C. h. t. l. 30. C. de iur. dot. in princ.* validiusque est eius, quam filijfamilias ius: quod κατ' ἐπίδοξον, id est, in spe subsistit, vt cum lex filiumfamilias rerum paternarum dominum vocat *l. 11.*

*ff. de*

*ff. de liber. & posth.* Mulier enim propter suum in dote habens naturale domi-  
nium locuples est, & iudicio sibi satisfacere non tenetur, cum filius familias  
teneatur *l. 15 §. 3 ff. qui satisfd. cog. Andr. Alciat. lib. 2. parerg. iur. c. 15.*

9. Multo magis marito *l. 9 C. h. t.* non tantum respectu dotis æstimatò sed  
etiam inæstimatò datæ, tum respectu iuris in re dotali eodem constituti *t. t.*  
*ff. & l. 30. C. de iur. dot. arg. l. 1. §. 4 ff. de dot. præleg.* tum quia inspecto actu tra-  
ditionis dominus est naturalis *§. 40. Inst. de rer. diuis. Vult. 1. discip. scholast. 19*

10. Etiam ei, qui demum post litem contestatã dominus factus est, quod  
tamen non tam de iure ciuili, propter *l. 23. ff. de iudic.* quod ius vindicationis  
ex persona actoris metitur *l. 1. §. 1. ff. si pars hered. pet.* (nisi alia causa noua post  
petitionem accesserit, quæ ei dominium tribuat *l. 11. §. 4. ff. de except. rei iu-  
dic.* vel nisi generaliter proposuerit actionem in rem *l. 14 §. 2. ff. eod.* vbi latè  
*Bartol.*) quàm de iure canonico, quod in foro nostro seruandum, iuxta *notat.*  
*Dd. in l. priuilegia C. de SS. Eccles.* decisum est in *c. Abbate sanè de re iudic. in*  
*6. Angel in Inst §. omnium 1. tit. de act.*

11. An autem ei, cui oblata libelli tempore dominus esset, lite pendente  
dominium amisit, hæc actio detur quæstionis est. Vbi in negatiuam iuxta  
communè *Dd.* sententiam sumus procliuios, quia deficit principium ex  
parte agentis *arg. l. 9. §. 3. vbi Dd. ff. ad exhibit.* cuius & tempore litis conte-  
stata rei iudicatæ interesse debet *l. 7. §. 7. ff. eod. l. 14. in pr. ff. de cond. furtiu.*  
*Angel. in d. §. omnium Inst. de act.* Nisi quis actum de facto, vel exceptum, vt  
ualeat pronuntiatio postea sequens, sufficere putet *arg. l. cum putarem 36. in*  
*pr. vbi Florian. ff. famil. exercisc.*

12. Sed quid si duobus simul res vendita, siue donata sit, cuinam dabitur  
rei vindicatio? Distingue; An plures rem illam separatim emerint ab eodẽ  
non domino, an à diuersis non dominus, vt priori casu potior esse debeat,  
in publiciana is cui priori res tradita est. Posteriori modo melior si cõditio  
possidentis *l. 9. §. 4. ff. de public. in rem act.* Sin à vero rei domino traditio du-  
obus facta est, is in rei dominio præferendus erit, cui res prius est tradita *l.*  
*15. C. h. t. vbi Gothofr. l. 98. ff. de reg. iur.* interuenta instrumenti & *l. 1. C. de do-  
nat.* non obstantibus, ne veritas fictioni præualeat *Gothofr. ad d. l. 15. & Si-  
chard.* qui venditionem secundam mediante appellationis interpositione  
per bonam cautelam euitari posse, & insuper in priuilegiata venditione Ec-  
clesiæ facta, secundò, in matrimonijs, tertio, in Ecclesiasticis personis ven-  
dentibus, quartò; in feudalibus, quintò regulam hanc suum officium perde-  
re tradit.

13. Vt autem hæc actio competat, duo sunt notanda requisita, vnum, cau-  
sa ex qua, scilicet, vt agens sit Dominus, alterum vt is contra quem agitur sit  
possessor *Vult. lib. 2. Iurispr. Rom. c. 22. n. 23.*

14. Hinc simul intelligitur, quid probare debeat actor, nempe rem suam  
esse, & dominium rei, quam petit, ad se pertinere, vtpote quæsitum aliquo  
eorum modorum, quibus *lib. 2. & 3. Inst. agitur l. 2. ff. de prof. l. 23. C. eod. l. 3. ff.*

*h. t. nam super dominio in hac actione innititur origo & radix petitionis Bald. in l. cum res in fin. C. de prob.*

15. Nemo tamen regulariter cogitur docere titulum, vnde dominus factus sit *l. 16. C. de probat.* quia actio in rem est vniformis, vt rei conuenti nihil scire interfit, ex quanam causa actor rei petite dominus sit, sed possessor rem petitori restituere debeat *l. 9. ff. h. t.* tum quia plures nō possunt vnus rei esse Domini in solidum *l. 5 §. 15. ff. commod.* tum quia id quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere scire debent *l. fin. C. vnde vi.*

16. Accedit, quod dominij probatio sit difficilis tum quia non solum titulum, sed & authoris dominium probari oportet, aliter obtineri in causa non potest *Affl. Et. in decis. 40. n. 3.* tum quia in iure consistit, iuxta *Innocent. in c. cum causam post n. 1. vers. si omittitur de test.*

17. Ideoque non tantum probatur per indicia & coniecturas *l. indicia 19. C. de rei vindicat.* scilicet, vendidisti mihi rem, & te sciente & patiente sui in possessione, vnde colligitur traditio *l. 2. C. de acquir. possess.* & consequenter dominium *l. 20. C. de pact.* vel per solutionem census *Mascard de probat. vol. 1. conclus. 538.* Sed etiam tutius esse tradunt ad publicianam confugere, vtpote in qua sufficiat, si bona fide aliquandiu possederis *Rittershus. §. omnium 1. vers. veluti si rem corporalem Inst. de act.* vel interdicto aliquo nancisci possessionem *l. 24. ff. h. t.* quatenus longè commodius est, ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere §. 4. *Inst. de interd.* vsque adeo, vt permittatur ei, qui rem vindicare cœpit, mutato consilio interdictum intentare *l. 12. §. 1. ff. de acquir. possess.*

18. Deinde ordo seu deliberatio de modo agendi desiderat vt is, qui petitorio iudicio vtitur, ne frustra experiatur, requirat, an is, cum quo instituit actionem possessor sit, vel dolo desierit possidere *l. 9. l. 36. ff. h. t.* Possessio enim aduersarium parit huic actioni *l. 1. §. fin. C. vbi in rem act. exerc. oport. l. 1. C. de alien. iud. mut. caus. fact.* Quam *l.* contra vulgatam lectionem (cum in rem actionem possessio pariat aduersario) malè legit *Ant. Cont.* (cum in tē actioni possessio pariat aduersario) Nam quamuis is, qui in rem agit, non ex eo metitur ius, quod possessor occupauit, sed suo iure *arg. l. 1. §. 1. ff. si pars hered. pet.* Tamen verissimum est ab hac actione absolui eum, qui non possidet *l. 4. C. de edend. l. fin. C. h. t. Rittershus. cit. loc.*

19. Possidere hic intelligimus eum, qui ita tenet rem, vt habeat eius restituendæ facultatem *l. 9. in fin. ff. h. t.* Et quidem necesse est, vt duobus temporibus possideat reus, & tempore litis contestatæ, & quo res iudicatur: aut certè tempore rei iudicandæ *l. 27. §. 1. ff. h. t.*

20. Vnde quæritur I. Tempore litis contestatæ Titius possidebat, postea lite pendente desijt possidere, an postea sequatur condemnatio. Tu distingue, Aut desijt possidere sine aliqua culpa sui, & absoluetur, aut sui culpa & condemnabitur; quia perinde habetur, ac si possideret *d. l. 27. §. 1. ff. h. t.* Et ex eadem instantia sequitur condemnatio, licet dolo desierit possidere

*l. 4.*



*l. 4. §. ff. de aqua plu. arcend. l. 68. l. seq. l. 71. ff. h. t.* hinc dicitur dolum pro possessione esse *l. 131. l. 150. ff. de reg. iur.* Ac permittitur hoc casu actori in litem iurare, vt tanti reus damnetur *l. 68. vers. si vero ff. h. t. l. 5. ff. de in lit. iur.* quamuis, si iurare nolit, mos ei gerendus est, vt quanti res est, condemnetur *l. 71. ff. h. t.* quatenus vnusquisque fauori pro se introducto renunciare potest *l. pen. C. de pact.* Non tamen talis sententia contra illum, in quem dolo possessio est translata, executioni mandabitur *l. 1. §. 2. ff. si ventr. nbn. mulier. in possess. miss. & ibi Bart. Angel. in Inst. d. §. omnium n. 11.*

21. Secundo quæro. Quid si è contra tempore litis contestatæ reus non possidet, postea tempore sententiæ ferendæ in possessione reperitur? Dic, quod ex libello contra eum formato debeat condemnari *d. l. 27. §. 1. ff. h. tit.* Cautus autem Aduocatus interrogare debet reum possessorem, non authorem eius *l. 1. cum ibi notat C. vbi in rem nisi dolo desierit possidere,* quo casu in electione agentis erit, contra quem agere velit *l. 1. C. de alien. iudic. mut. caus. vbi gloss. Cyn. & Dd.* Nam si conuentus dixerit se possidere, poteris postea securè contra eum, tanquam contra possessorem formare libellum, siue in veritate possideat, siue non, quia si non possidet, in sui præiudicium habetur pro possessore, cum se liti obtulisse videatur *l. 7. l. 25. l. 26. l. 27. ff. de R. V.* nisi ante litem contestatam reuocauerit suam confessionem *d. l. 25.* Sin autem ipse conuentus negat se possidere, & tunc si in veritate possidebat, & sciebat se possidere, tunc actor debet prodare, quod mentitus sit, & si conuincatur de mendacio, tunc reus priuabitur sua possessione & transferetur in actorem officio iudicis incidenter implorato, etiamsi actor non probauerit rem esse suam *l. fin. ff. h. t. §. Vasallus tit. si de feud. defunct. content. sit int. dam. 2. feud. tit. 6.*

22. Volunt in possessore hoc amplius requiri, vt rem contra vindicet, id est, se dominum eius esse dicat *§. 1. Inst. de act.* Alioquin nulla vltra erat controuersia, nulla actio, nulla mora: quin Prætor continuo secundum vindicantem vindicias dabat, id est, vindicanti rem addicebat, tanquam ex cessione in iure facta à possessore: sic (*quando neque ais, neque negas, illum fundum presentem & vindicanti addico*) Sed ita necesse erat, quia reus Prætori, an contra vindicaret interroganti, non poterat aliter respondere, quam se vindicare, vel non vindicare: nullum enim aliud medium erat, nisi fortè taceret: Sed ne id quidem medium erat, nam vindicare erat controuersiam facere, seu in rem cum actore agere: Tacere per interpretationem, propter contemptum Prætoris, erat fateri rem suam non esse *l. 11. §. 4. ff. de interrog. in iur. fac.* Qui vero fatebatur se non vindicare, aut rem suam non esse, vtique sic docebat Prætores sibi rem abiudicare. *A Egd. Hortens. §. 1. Inst. de act. in fin. Cuius cū alibi, tum in recit. decretal. ad c. 5. si Clericus. X. de for. compet.*

23. Nec refragantur rationes Donelli, aliorumque dissentium, I. Quod actore non probante, reus etiamsi nihil præstiterit, absoluat *l. 4. C. de edend.*

*edend.* II. Quia iniuile sit, possessorem cogi ab eo, qui expedit dicere titulū suæ possessionis, *l. 11. C. de petit. hered.*

24. Nam prior sententia confirmatur & formula antiqua vindicationis de qua est apud *Gell. lib. 20. c. 9.* & apud *Boet. in Topic. Cic. & textu §. 1. Inst. de Act.* Cum autē dicimus possessorem contra vindicare debere nō continuo hoc volumus, cum ita probare intentionem suam ut actor cogatur dicere titulum possessionis suæ, sed ut controuersia oriatur ut dictum *thes. 22.* Hodie etiam, aut quo ex tempore desijt huiusmodi interrogatio, non sapit, quisquis negat satis esse, si reus neget tantum rem actoris esse *l. 4. C. de edend. l. fin. C. h. t. A Egid. Hortens. cit. loc*

#### CONTRA QUOS.

25. In quæstione contra quos detur, notandum quod contra omnes, qui rem nostram possident, vel naturaliter, vel ciuilitur *l. 60. §. 1. ff. de usufr. l. 3. §. fin. ff. ad exhib.* siue suo, siue alieno nomine *l. 9. ff. h. t.* qui tamen liberatur, si dominum nominet *l. 2. C. ut in rem act.* vel rem saltem detinent, modo restituendi ei facultas detur *d. l. 9. ff. h. t. Angel. in Inst. d. §. omnium. n. 11. Inst. de act. non tamen contra sequestrum arg. cap. 1. vers. prelibatam quoque, vbi Gæd. n. 115. & seqq. de sequestr. poss. quia restituere nequit Coras 3. miscell. 2. arg. l. 21. 27. §. 1. ff. hic. neque sententia contra alieno nomine detinentem lata, domino in possessione præiudicat t. t. C. quib. res iud. non nocet arg. l. fin. C. si per vim Neque à directa ad vtilem de nouo instituendam recurri opus est, si post litē contestatam reus dolo desiit possidere, ne in potestate rei sit ad placitū eludere processum *arg. l. 4. §. 1. ff. de aq. plur. arcend. vbi Bart. & Iason.**

26. Et hucusque de directa rei vindicatione, ad cuius exemplum utilis datur Emphiteutæ, quæ penè totam utilitatem dominij directi absorbet, & competit, si à possessione sua Emphiteuta cadat, quæ est actio natiua, non datiuā *Bart. in l. 1. n. 20. C. de oblig. & act. & de hac agit t. t. ff. si ager vectigal. pet. eiusque libellum tradit Ioan. de Blausco in rubr. de utilit. rei vind. folio 15. Valasc. de iur. Emphyt. quest. 14. n. 5.*

27. Cuius occasione non inopportunè queritur, an isthæc utilis rei vindicatio Emphiteutæ competens requirat traditionem rei, ut ea mediante queratur, an vero ex solo contractu & conuentione nascatur. *Et Specul. tit. de Emphyt. n. 63. vers. 167.* quæstionem hanc vtrinque disputat, & magis inclinatur, ut ex solo contractu utilis rei vindicatio producat, ad instar hypothecariæ, quæ in rem est *l. 1. ff. de pign. act. Negus. de pign. 3. part. 1. membr. in pr. fol. 55.* Et quod si alicubi ad Emphiteusin traditio requiratur, istud ad commoditatem vsus & culturæ sit, non quantum ad actionem, illa enim ex sola conuentione competat *l. 1. C. de iur. Emphyt.* Sed quicquid dicat *Speculator:* verior est contraria opinio *arg. l. 20. C. de pact. à qua regula non reperitur hic contractus exceptus, vnde manet sub regula arg. l. 15. §. 6. ff. de testam. milit. quamuis bonus in illam sententiam sit textus in l. 12. §. 2. ff. de public. in rem act. Valasc. cit. loc. n. 6.*

28. Hæc

28. Hæc quoque datur Vasallo, contra quemcunque possessorem, ipsum quoque dominum, nedum de feudo ipso, sed etiam de seruitute feudo debita *c. vnic. §. rei autem de inuest. de re alien. fact. Curt. part. 1. in tract. feud. quest. 10. Rosenth. de feud. concl. 2.*

29. Quæ in tantum procedunt, vt si Dominus & Vasallus in vindicando re feudalem à tertio concurrant, non vterque simul ad agendum admittatur, sed vasallus hoc casu Domino præferatur *Borch. in tract. feud. c. 9. n. 2. Vultei. de feud. c. 1. p. 2. n. 14.* quamuis fieri possit, vt Dominus contra tertium ad conseruationem iuris ipsius vasalli agere volens admittatur *Rosenth. d. cap. 12. conclus. 5.*

30. Datur insuper eadem hæc actio superficiario *l. 73. §. 1. cum 2. ll. seqq. ff. h. t. l. 1. §. 3. ff. de superfic.* & quidem tutione Prætoris *l. 75. ff. h. tit.* Itemque similibus, vt conductori vectigalium *l. 17. §. 27. ff. de damn. infect.* & cuiilibet à Re- pub. vel Fisco etiam ad modicum tempus conducenti *Pinel. ad l. 1. §. 3. n. 67. & seqq. C. de bon. matern.* nec non ei, qui per simplicem cessionem vel aliquem contractum actionem in rem acquisiuit *l. fin. C. de hered. vel act. vend. Treut. disp. 15. vol. 1. thesi 5. lit. D.*

31. Idem est si reus iudicialiter se possidere confessus est, liti que se obtulit, etsi non possideat neque dolo possidere desierit, quatenus dolus semper pro possessione habetur, & culpa est immiscere se rei ad se pertinenti *l. 45. ff. de pet. hered. l. 7. 25. 27. ff. h. t. modo actor id ignoret l. 26. ff. h. t.* In heredes etiam datur, si possideant rem litigiosam, & restituendi habeant facultatem, aut lis cum defuncto sit contestata *l. 42. ff. h. t. Azo in summa. C. h. t. n. 28. & seqq. l. 55. & ibi Costal. ff. h. t.*

32. Vtrum autem & is, qui mea pecunia suo nomine rem aliquam emit, rei illius emptæ respectu teneatur? quæstionis est, Nos negatiuæ calculum nostrum adiicimus, quia res in singularibus iudiciis non succedit in locum pecuniæ. *l. 48. §. 7. ff. de Furt. l. 6. & 8. C. h. t.* Et quamuis speciale constituatur in milite, *d. l. 8. vbi Sich.* non tamen hoc ius porrigitur ad Aduocatos, vt *id. ibid.* neque ad minorem, non obstante. *l. 2. ff. Quand. ex fact. tut. iuxta Gothofr. ad l. 7. ff. Qui pot. in pign. hab. Ant. Fab. 5. coniect. 9.* quamuis benè ad res dotales, arg. *l. 54. ff. de iur. dot. ibid.*

33. Sin reus verò sine dolo possessione cecidit, aut si ei res fortuito casu interierit, eum absoluendum putarem, nisi mora eius intercesserit, quia non debet bonæ fidei possessor mortalitatem præstare, aut propter metum huius periculi ius suum derelinquere, *l. 40. ff. de pet. hered.* Mora autem rei perpetuat obligationem, *l. 91. §. 3. ff. de verb. oblig.* quod si actor rem fuisset distra- cturus, si accepisset, *Cuinc. tract. 5. ad African. sol. 213.*

#### AD QUID DETUR.

34. Exposita nunc causa efficiente, quibus scilicet, contra quos detur, videamus in quibus rebus locum habeat hæc actio, vel non, & ait Imper. in *§. 1. Inst. de act. (in re corporali)* Vlpianus vero in *l. 1. §. 1.* In omnibus rebus mobilibus, tam animalibus, quam his, quæ anima carent, & in his quæ solo

continentur; Rem corporalem hic intellige, quæ sit in commercio, nam loca sacra, & religiosa non possunt nostra in rem actione peti *l. 23. § ff. h. t.* imo nec quæ adherent religiosis *l. 23. ff. h. t.* Huic fit, ut nec liberi homines, qui sunt in potestate nostra, vel liberi nostri hac actione peti possint, nisi adiecta causa ex iure Quiritum *d. l. 1. §. 2. ff. h. t.* sed aut præiudicijs aut interdicijs, aut cognitione prætoria, hoc est, additione, cum reus non contra vindicat *Ruard lib. 1. pro trib. c. 6.*

35. Porro res singulas hac actione petimus: quamuis in grege vel armento non necesse sit singula capita vindicare; sed sufficiat gregem totum petere *l. 1. §. fin. & ll. seqq. ff. h. t.* diuersum est in peculio, quod vindicari non potest *l. 56. ff. h. t.* Rationem differentie explicat *Donellus*, quia peculium ita constat ex rebus dissimilibus, ut vnum corpus ex illis confici non possit, cuius singulæ partes sint nostræ, *l. 7. §. 4. ff. de pecul.* At rei vindicatio est de vna re, eaq; certa & nostra: aut certè de pluribus ita diuersis, ut tamen vnum inde corpus conficiatur. Eadem prohibitio est in tigno alieno ædibus iuncto, *l. 1. ff. de tign. iunct. §. 9. Inst. de rer. diuis.*

36. Remouentur quoque ab eadem res incorporales, quatenus non possidentur, nisi in sint rei corporali, *l. 56. ff. h. t.* ager militibus assignatus, *l. 15. ff. h. t.* non res præscripta, arg. *l. vnic. C. de vsucap. transfor.* siue vsucapta, *l. 1. §. 1. ff. de publ.* licet contra eum agatur, qui ante præscriptionem Dominus rei fuerit, *Vasq. 2. illust. contr. 34. n. 1.*

#### QUALITER DETUR.

37. Ad formam pertinet, ut res, quæ vindicatur certò designetur, vel suo nomine, vel alia demonstratione, quæ sit vice nominis, *l. 6. ff. h. t. l. 6. ff. de reb. credit.* Item si partem quis petat, oportet addere quotam. Incertæ enim partis vindicatio non nisi ex iusta causa admittitur, *l. 6. l. 76. ff. h. t.* Error autem in nomine, si de corpore vel re conueniat, nihil nocet, *l. 5. §. pen. ff. h. t.* Secus si sit tanta ambiguitas, ut nõ constet, quæ res petatur, *d. l. 5. §. vlt.* Ratio est, quia sententia debet esse certa *§. curare. 32. Inst. de Act.* Ea verò debet esse cõformis libello, *cap. graue. 1. l. q. 3.* Si tamen reus nihil opponat de libelli obscuritate, sustinebitur ille, modo ex probationibus deinde certificetur, *cap. 2. X. de libell. oblat. Gail. lib. 1. obs. 62. n. 9.*

38. Locum quod attinet, vel apud iudicem domicilij, siue reus absens, siue præsens sit, *l. vnic. C. vbi in rem act. exerc. oport.* vel eum, sub quo res sita est, si scilicet & ibi reus inueniatur, intendi hæc actio potest, *l. 1. & l. fin. vbi Sich. C. vbi in rem. act. exerc. oport.*

39. Finis huius actionis colligitur ex conclusione libelli, quando Actor petit se Dominum declarari directè, vel vtiliter, vel quasi, designati fundi, & successiuè reum condemnari, & condemnatum cogi & compelli ad dimittendum & restituendum Actori dictum fundum, *Bart. & Dd. in l. Pomponius. 40. §. 1. ff. de Procur.* qui neruus est publicæ tranquillitatis, arg. *l. fin. C. vnde vi. Vvesenbec. in paratit. h. t. n. 8. in fin.*

40. Et prædicta procedunt, quando petitur simpliciter fundus sine fructi-

ctibus : sin autem quis simul petere velit fructus , debet concludere conde-  
mnari ad restituendum petitum fundum vnâ cum fructibus perceptis , &  
qui percipi potuerunt , seu percipiendis ; quia cum dicti fructus accessio-  
riè petantur , sufficit etiam si certa quantitas non exprimat , *Bart. in l. 1. ff.*  
*de edend.* siquidam postea in processu declarabuntur fructus , & liquidabi-  
tur quantitas , *arg. notator. in similib. per Bald. in l. 1. in pen. quest. ff. de leg. 2. &*  
*in l. 1. C. de sent. qua si. cert. quant. Diss. Cyn. in l. cum propria. C. si quis alteri ,*  
*vel sibi.* Distinguit *Angel. in Inst. de Actionib. § 1.* Qui putat primam opinio-  
nem de iuris rigore fortè veriore esse , quamuis ad euitandas opiniones  
tutius sit sequi *Cynum.* & in libello ponere quantitatem opinatam , taxatio-  
ne iudicis semper salua.

41. Effectus est , vt impleta approbataque actoris intentione , *l. fin. C. h. r.*  
reus condemnetur ad faciendam restitutionem : quæ quidem eo qui supra  
positus est modo , & quidem statim erit faciendâ , *§. 1. Inst. de offic. iudic.* id ta-  
men sequentem distinctionem recipit : Nam aut potest quis rem restituere ,  
& non vult : & is statim iubendus est restituere : Quod si non restituat ,  
res ab ipso manu militari auferetur , *l. 68. ff. de rei vindic.* Qua in re hæc  
actio in rem differt ab actionibus in personam , in quibus condemnato hu-  
manitatis gratia indulgetur spacium quadrimestre , intra quod sese recolli-  
gat , & pecuniam explicet , vnde soluat , *l. 2. l. 5. C. de usur. rei iudic. l. fin. C. de*  
*Execut. rei iudic.* Ratio differentia est , quia detentio rei alienæ est odiosa :  
proindeq; acceleranda eius restitutio. Sed debitor nõ tam odio quàm fauo-  
re & commiseratione dignus est , qui non tam citò pecuniam explicare po-  
test. Aut vult quidem , sed non potest aliquis statim restituere rem , & sibi  
tempus aliquod ad id concedi petit , sine tergiversatione. Hoc casu iudex  
terminum ei certum pro arbitrio suo præfiget , intra quem restituat : & in-  
terim iubebit eum satisfdare , id est , datis fideiussoribus cauere , de litis æsti-  
matione , si intra constitutum terminum non restituerit , sin manifesta sit rei  
frustratio , non debet ipsi hoc spacium concedi , quia malitijs indulgeri non  
debet , *l. 38. ff. de rei vindic.* Aut denique omninò non potest restituere : idque  
vel quia dolo possidere desijt , vel quia sine dolo possessionem amisit. Priori  
casu nihilominus condemnatur ac si adhuc possideret. Dolo enim pro pos-  
sessione est. Condemnabitur autem quanti actor rem suam æstimauerit per  
iuramentum in litem. Posteriori casu absoluentus erit , *Conrad. Rittershus.*  
*in Inst. de offic. iudic. §. 1.*

42. Vtrique igitur & fini scilicet & effectui inferuit iudicis officium tri-  
plex. I. Vt dominium actoris esse sua sententia declaret , *l. 9. l. 35. l. 20. ff. b. t.*  
II. Iubeat restitui rem cum fructibus eiusque causa , & partu , qui in fructu  
non est , *§. 37. Inst. de rer. diuis.* nõ obstante *l. 14. ff. de usur.* iuxta *Coras. 5. miscell.*  
*8. in fin.* III. Si huic non paruerit reus , condemnabit eundem , quanti res  
actoris iuramento fuit æstimata , si quidem dolo eius factum , quo minus re-  
stitueret : aut si sine dolo , quanti actoris interfuit. *Vultei. in §. omnium. Inst.*  
*de Act. in fin. n. 70.*

43. Ad

43. Ad fructus quod attinet, eorum varia est distinctio, uti & impensarum quæ illos minuunt; Illi sunt vel naturales, ut poma, pira, cerasa, pruna &c. quæ ipsa naturâ sine cura hominis proueniunt. *l. 45. ff. de usur. Azo. in summa. C. h. t. n. 6.* Alij industriales, ut segetes, lac, pilus & lana, oliua, quatenus his cura & cultura hominis adhibita est. *Hæn. disp. 4. ad Inst. th. 17. vtrorūq; subdi- stinctio talis: Alij sunt pcepti, ut quoquo modo à solo separati vel demessi, sicut in bonæ fidei possessore dicitur, vel in horreis recõditis; sicut in usufructuario l. 78. vers. Perceptionē. ff. h. t. l. 13. ff. quib. mod. vsuf. amit.* Alij sunt perci- piendi, quod & duobus modis dicitur, siue quia potuerūt ab aliquo percipi, siue quia non potuerūt percipi propter immaturitatem; percipi autem po- tuerunt tempore procedente. Item alij sunt consumpti, ut quia desierunt esse: alij extantes, ut qui supersunt, & horum alij sunt stantes, ut spicæ: Alij pendentes, ut poma. Item possessorum, alij sunt sine titulo, alij cum titulo, alij bonæ fidei, alij malæ fidei. *Azo in summa cit. loc.*

44. His ita sparsis, quæ seuiimus, colligamus; Sciendum igitur, quod nul- lus etiam bonæ fidei possessor naturales fructus faciat suos, siue titulum habeat, siue non. *l. Fructus. ff. 45. de usur. Cuiac. ad §. in pecudum 37. inst. de rer. diuis. & l. 4. §. 5. ff. de vsurp. & vsucap. Duaren. ad tit. ff. vsur. & fructib. cap. qui fruct. in Restit. ven.* Alij distinguunt inter titulum onerosum & lucrosum, ita ut habens titulum onerosum lucretur omnes etiam naturales, lucratiuum habens industriales tantum. *Pac. in not. ad l. fructus. 45. ff. de usur. Iacob. Cur. Brugens. tom. 1. coniect. lib. 2. cap. 44. dissentiunt Pinell. in l. 2. p. 2. cap. 4. n. 55. C. de rescind. vendit. Anton. Fab. lib. 4. coniect. cap. 17. Vult. lib. 1. discept. cap. 20. Nec obstat, quod dicitur in l. 48. in pr. ff. de acquir. rer. dom. (omnes) quia par- ticula illa exauditur de his fructibus, qui ex alterius facto percepti sunt, l. 25. §. 1. vers. praterea. ff. de usur.*

45. Quid ergo est de his fructibus? Siquidem extant, vindicabuntur à Domino fundi, quia uti illius, ita & fructuum Dominus est. *l. Fructus 44. ff. de Rei vindict.* Cùm ipse possessor non fecerit suos: si verò bonæ fidei possessor eos consumpserit, non tenetur, utpote cùm non habeat, nec habere dolo de- sierit, & hoc in rei vindicatione, sed cõdictione sine causa tenetur, cùm con- sumpserit in eam rem, quam de suo tantum expendisset, *l. 32. ff. Si cert. pet. Ita Dd. supra citati.*

46. Industriales aut fructus omnis bonæ fidei possessor siue cum, siue sine titulo facit suos: Et quamuis hoc in genere non inueniatur ita lege expres- sum, scilicet, quod etiam sine titulo suos faciat, cum omnes textus videan- tur loqui ubi titulum habet, §. 35. *Inst. de rer. diuis. l. 48. ff. de acquir. rer. dom. l. Qui scit. 25. §. 1. ff. de usur.* Tamen videtur satis expressum. *in l. 13. in fin. ff. Quib. mod. vsuf. amit. l. 4. §. 2. ff. fin. regund.*

47. Licet autem suos facit; tamen si extent, iudicis officio, non rei vindi- catione, quia percipientis sunt, tenetur restituere, *l. 22. C. h. t.* In secundo au- tem casu petitori fiet restitutio acquisite operæ, & non ex re, *l. 20. ff.*

*h. t.*

*h.t.* De consumptis autem nullo modo tenetur, §. 2. *vers.* Si verò bonæ fidei  
*Inst. offic. iudic.* fortè nec ad pretium, quia lex dicit eum lucrifacere propter  
culturam & curam, l. 4. §. 2. *ff. fin. regund.*

48. Bona autem fides in initio tantum exigitur, l. 25. §. 2. *ff. de usur.* nec  
obstat, l. 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* Quia ille textus intelligendus oppo-  
nendo, seu non ponendo, relatiuè, non definitiuè, *Azo. in summa. num. 7.*  
Imò post litem contra se contestatam fructus facit suos, licet à tempore li-  
tis contestatæ demum, non controuersia motæ, sicut in petitione heredita-  
tis officio iudicis restituere debeat, l. 22. *C. h. t.*

49. Si verò sit malæ fidei possessor, si quidem sine titulo, de consumptis  
tenetur condictione sine causa, de extantibus rei vindicatione; non tamen  
eadem, sed omninò alia: licet in petitione hæreditatis sit secus, l. 3. *C. de  
cond. et. ex lege.* De percipiendis autem tenetur officio iudicis, id est, quos  
vetus possessor percipere potuisset, l. 62. §. 1. *ff. h. t.* §. 2. *Inst. de offic. iud. vers.  
illorum.* non modo honestè, vt in l. *Fructus. 33. ff. h. t.* sed etiam inhonestè, l. 27.  
§. 1. l. 2. *ff. de petit. hered.* Si verò cum titulo sit, de consumptis tenetur con-  
dictione sine causa, de extantibus rei vindicatione: A percipiendis autem  
propter titulum excusatur, l. 17. *C. h. t.* nisi in casibus, quando emit, ab eo,  
quem scit vendere in fraudem creditorum, l. 10. §. 20. *ff. Quæ in fraud. credit.*  
Item cum emit ab eo, qui metu compulsus ei vendidit, l. 12. *ff. Quod met. caus.*  
Item cum emit contra interdicta legum, l. 7. *in fin. C. de Agric. & censit.* Idem  
est & si fructus maturos patiatur corrumpi. *Azo in summa. C. h. t. n. 7.*

50. Impensarum tria genera sunt; necessariæ videlicet, vtiles & voluptu-  
ariæ l. 79. *ff. de V. S.* *Azo. in C. tit. de rei vind. n. 7.* necessariæ dicuntur, quæ si fa-  
ctæ non essent res aut peritura, aut deterior futura erat, d. t. 79. *Aliter Vlpian.  
in l. 1. §. 1. ff. de impens. in res dot. fact.* ab eo quod habeant in se necessitatem  
impendingi, has definit. Aliam impensarum diuisionem annectit *Azo cit. loc.*  
quædam fiunt gratia fructum quærendorum, vt in arando & colendo, vel  
colligendorum, vt in metendo, vel conseruandorum, vt in locando ad repo-  
nendum, alia denique fiunt gratia rerum, vt quæ non gratia fructus præsen-  
tis anni, sed ad perpetuam rei vtilitatem l. 3. §. 1. *ff. de impens. in res dot.* Ne-  
cessariarum impensarum exempla sunt resectio ædium vetustate laboranti-  
um & ruinam minantium l. 39. *ff. de pet. hered.* armatura nauis, cibaria neces-  
saria l. 2. §. 2. *ff. ad L. Rhod. de iact.* arborum cura, vitium propagatio semina-  
ria l. 3. *ff. de impens. in res dot.* *Gædd. in d. t. 79. ff. de V. S.*

51. Quamobrem cum impensis necessarijs tota rei substantia salua ma-  
neat atque conseruetur, l. 14. *ff. de impens. in res dot.* semper ea deducuntur  
& repetuntur, siue sit bonæ fidei siue malæ fidei possessor l. 8. *ff. de pign. act.*  
*Gail. 2. obser. 146.* diuerso tamen respectu, ita vt bonæ fidei possessor excepti-  
one doli mali vel officio iudicis, licet res non ampliùs extet. in quam facit,  
consequatur l. 38. l. 48. *ff. de Rei vind. l. 36. §. fin. & duab. LL. seq. ff. de pet. hered.* at  
malæ fidei possessor officio tantum iudicis, non etiam exceptione doli mali

tol-

collit. l. 5. C. de Rei vind. vide Cuiac. lib. 10. obser. 1. Bocer. disp. ad pand. de rei vind. thes. 21. vide Gæd. ad L. 78. n. 7. Quinimo prædoni hæ impensæ restitui debent l. 36. §. fin. ff. de pet. hered. hoc casu excepto, qui est in l. vlt. C. de neg. gest. quando nimirum illi nunciatum est à rei Domino, ne tales sumptus faciat, neue negotium gerat d. l. fin.

52. Utiles impensæ sunt, quæ neque necessariae, neque voluptuariae sunt quod à fine colligitur, nam si ideo impensæ, quia nisi factæ essent, res deterior fuisset, vel certè perijsset, necessariae erunt, vt supra dictum, voluptuariae non eo fine vt fructum & commodum ipsi rei adferant, sed voluptati hominum & ornatui seruiant, harum utilium putâ, quatuor exempla referuntur in d. l. 70. §. 1. pastinatio ultra quam necesse fuerat facta, quæ nihil aliud est, quam quando foditur pastino hoc est instrumento ferreo bifurco, quomodo differat ab arbusco, vide Gædd. ibid. n. 2. secundum exemplum est doctrina puerorum, hoc est, seruorum, l. Pueri appellatio, ff. de verb. signif. reliqua duo vide loco cit. | Harum autem impensarum deductionem malæ fidei possessori, non autem retentionem vel actionem concedimus L. Planè ff. Gæd. d. §. 1. in fin.

53. Voluptuariae sunt, quibus neq; omisis deterior, neque factis res fructuosior & utilior esset futura. arg. l. 7. ff. de impens. in res dot. fact. vt si fiant picturæ, incrustationes, loricationes, viridaria, aquæ salientes, &c. Has bonæ fidei possessor, quatenus res est facta preciosior, nisi paratus sit Dominus tantum dare, quantum hic rebus ablati habiturus est l. 38. ff. de rei vind. aufert, at malæ fidei possessor has omnino perdit l. 39. ff. de petit. hered.

54. Et huc vsque de rei vindicatione ciuili, quæ proprietario competit: sed habet etiam Prætor rationem eorum, qui proprietarijs similes sunt, eisque dat vindicationem, non minus quam proprietarijs, cuius generis sunt bonæ fidei possessores, quibus amissa possessione datur publiciana in rem actio, à Publicio Prætoe primùm in edicto proposita, fictitia actio, sicut possessoria hereditatis petitio. Est autem utilis siue Prætoria vindicatio, quæ amissa possessione datur ei, qui à non Domino rem traditam ex causa iusta acquirendi dominij bona fide accepit, necdum vsucepit, l. 1. ff. h. t. vbi Cuiac in parat.

55. In hac actione I. requisitum est, vt rem acceperit à non Domino Arg. l. 54. & l. 174. ff. de Reg. iur. nam cum Dominus est, iam non videtur indigere actione hac, cum habeat ciuilem arg. l. 23. ff. de Rei vindic. l. 16. ff. de minorib. moribus tamen receptum est, & iure ciuili comprobatum, vt & Domino, qui sibi fortè diffidit in probatione dominij, quæ sæpè est perdifficilis, liceat Publiciana agere Accurs. hic, & cap. Abbat. de re iudic. in 6. Oldendorp. class. 3. act. 3. Dis. Steph. Bod. inst. de act. ad §. sed ista. II. Necessè est, vt res tradita fuerit Actoris, & is possessionem nactus fuerit l. 7. §. pen. ff. h. t. etiam si quis prior rem emerit, quam alter l. 9. §. si duobus ff. h. t. III. Requiritur in Actore vt ex iusta causa acceperit, de quibus dicitur in l. 1. §. vlt. l. 2. & seqq. 6. ff. h. t. l.

13. ff.



13. ff. eod. IV. vt bona fide acceperit aliquis, l. 7. §. Prator. & §. fin. ff. eod. V. vt aliquando rem possederit, idque vel momento, atque ita vsucapionem inceperit, eamque possessionem casu amiserit, ante vsucapionem completam l. 6. l. 9. §. vlt. & l. 12. §. vlt. ff. h. t. VI. vt res tradita & possessa eiusmodi sit, cuius alienatio nulla lege aut constitutione prohibita est. l. 12. §. si res l. 7. §. si a minore ff. h. t. Treutl. disp. 15. thes. 13. lit. G.

56. Coronidis loco adijcere placet, hanc actionem pro rebus tam corporalibus quam incorporalibus, tam mobilibus, quam immobilibus l. 9. l. 11. ff. de pub. in rem act. dari, & rei vindicationem cum hac posse cumulari, Geil. 1. obser. 62 n. 5. partum ancillæ furtivæ ita hac actione peti possit, si tempore conceptionis & editionis, bonæ fidei possessor ignorauerit ancillam esse furtivam, secus si apud furem eiusque hæredem conceptus, apud bonæ fidei possessorem editus sit l. 47. §. 5. ff. de furt. l. 33. princ. ff. de vsucap. diuersum in foetu animalium obtinere putamus l. 48. §. fin. ff. de acq. dom. Cuiac. 15. obser. 20. Deinde libellum alternatiuum, veluti peto rem iure domini, vel quasi in rei vindicatione & publiciana subsistere, Oldend. clas. 3. act. 3. V. Vesen. in parat. ff. de rei vind. n. 6. finaliter Publicianæ hodie adhuc locū esse, nec per ius canonicum esse correctam statuo, Cost. in l. eum qui §. Prator ait ff. h. t.

F I N I S







X 2874408

94 A 7386

VD 17








B.I.G.

Farbkarte #13



...MAQVINTA  
 ...BLICI,  
 ...NDICA-  
 ...PVBLI-  
 ...REM  
 ...E.  
 ...mine,  
 ...s  
 ...Viris, ac DD.  
 ...o, I. V. Doctore, &  
 ...S. LL. Licentiaço,  
 ...& Fisco.  
 ...llegio publice disputan-  
 ...An. 1629.  
 ...Landspergensis.  
 ...PINÆ,  
 ...ope Augustinianos.

